



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

XXIV. Quod archiepiscopus post appellationem potest excessus corrigere,
de quibus non appellatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

modum reportet : fraternitati tuæ , &c. quatenus literas quas nuntius abbatissæ ad prædictos iudices impetrauit , tibi facias exhiberi ; & ipsis inspectis , si eas infra terminum appellationi præfixum , sicut præfatus clericus asserit , obtentas fuisse cognoueris , eis non obstantibus , de prædicta causa cognoscas , & auditis quæ hinc inde proposita fuerint , & qualiter prædictus episcopus & decanus in ea processerunt , cognito , sublato appellationis remedio canonicum finem imponere non postponas : prouisurus , vt mandatum nostrum taliter exequaris , vt super causa ea , de qua toties scriptum est , vltius scribere non cogamur . Si quid autem eidem G. super beneficio ipso grauaminis irrogatum fuerit , postquam iter arripuit ad sedem apostolicam veniendi , ante ingressum principalis causæ contradictione & appellatione cessante , prout rectum fuerit , eneruari .

CAP. XXIII. *Idem Cantuariensi archiepiscopo.*

Cum teneamur consultationibus singulorum , quantum Dominus ministraverit , respondere ; tanto grauius volumus tibi responsum impendere , quanto personam tuam abundantiori diligimus caritate . Quoniam igitur nos consulere voluisti , vtrum si eorum qui appellant ad audientiam nostram , possessio turbata fuerit , reformare debeas , eo prætermisso , de quo appellatio est interposita ; prudentiæ tuæ taliter respondemus : Si exinde ad te querela peruenerit , id ordine iudiciario tibi corrigere licebit .

CAP. XXIV.

Idem vniuersis ecclesiæ Cantuariensis & eius suffraganeis.

Significauit nobis frater noster R. Cantuariensis archiepiscopus , quod si quando vos appellatis ad audientiam nostram , vel archidiaconi vestri super aliquo certo negotio , episcopatus vel archidiaconatus vestros sub protectione apostolica ponitis ad annum , & infra : nec de præteritis commissis , nec de nouis excessibus vestris , nec de subditorum vestrorum delictis permittitis eum cognoscere , sed omnem iustitiam eius suspenditis , & protinus euacuatis . Quoniam igitur nobis prouidendum est , ne mala impunita sub appellationis obtentu remaneant , aut subditi vestri de suorum excessuum impunitate lætentur : fraternitati

vestræ,

ANNO
CHRISTI
1179.

vestra, &c. quatenus si qui vestrum episcopatus aut archidiaconatus apostolicæ protectioni subiiciunt, & audientiam nostram appellant, propter hoc prædictum archiepiscopum nullatenus impedire tentetis, quo minus de causis & de excessibus subditorum vestrorum cognoscere valeat, & iuxta meritorum qualitatem eos animaduersione debita punire, aut etiam excessus vestros persequi, qui manifesti sunt & notorii: his dumtaxat exceptis, super quibus appellatio est interposita, possit digne corrigere, & quod iniuste actum est, ad rectitudinis tramitem reuocare.

2. quest. 6.
Siquis ex pluribus.

CAP. XXV. *Idem Eboracensi episcopo.*

De priore qui non deferens nostræ protectioni & appellationi ad sedem apostolicam factæ, quemdam canonicum suum fecit vestibus omnibus ad camisiam spoliari, & eum accusationi & appellationi renuntiare coegit: qui de suis ac quorundam fratrum enormitatibus murmuravit: id tuæ sollicitudini duximus insinuandum, vt rei veritate diligenter inquisita, si inueneris quod pro euitanda disciplina prædictus canonicus appellauit, eidem priori propterea nullam pœnam infligere debes: quoniam sacrosancta Romana ecclesia huiusmodi appellationem non consuevit admittere, ne monachis vel canonicis regularibus præberetur audacia delinquendi. Ceterum si præfatus canonicus priorem propter suas enormitates manifestas, quæ ipsum notabilem redderent, ad apostolicam sedem appellauit, & si ipse tali appellationi deferre noluerat, eum cum literis tuis rei veritatem continentibus, de tanto excessu satisfacturum, ad sedem apostolicam venire compellas, & eius in tali malitia complicibus talem pœnam infligas, quod ceteri audientes, similia non audeant perpetrare.

Pœna non deferentis appellatio illegitima.

CAP. XXVI.

Idem Exoniensi episcopo & * Cistrensi decano.*

Ad audientiam nostram peruenit, quod R. presbyter de Curket & VV. clericus de Cicestro, decimas de * Beinosa, quas idem VV. multorum virorum testimonio probare dicitur, ad se & ad capellam suam rationabiliter pertinere, violenter auferre conatur. Vnde cum VV. propter hoc ad audientiam nostram appellasset, prædictus R. au-

Concil. Tom. 27.

Cccc